



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt IX. Exemplai passionum rectè compositarum, & à sordibus nostratibus expurgatarum, in Cardinalibus Christi passionibus sub mortem, ac per tempus passionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

capacitate, conſequebatur. Uſum doctrinæ huius capi-
tis, ſuppediet ſequens caput.

CAPUT IX.

*Exemplar paſſionum rectè compoſitarum, & à
ſordibus noſtratis expurgatarum, in Cardi-
nalibus Chriſti paſſionibus ſub mortem, ac per
tempus paſſionis.*

437. **P**recuſor tantisper in argumentum longè
piſſimum, ſimulque fructuoſiſſimum, &
exhibeatur veluti praxes paſſionum Chriſti, optimè ac
ut hominem Deum decebat compoſitarum, à noſtriſ-
que defectibus liberarum, eas Chriſti paſſiones con-
ſiderandas ſuſcipio, quas elicit in vitæ meta. Quod
enim ſcitè de morte dixit Baſilius Selenciæ orat. 13. ut
mors Chriſti, mortis noſtræ exciſium, ita eiſdem
paſſio, paſſionum noſtrarum officina medica fuit. Nec
minùs eleganter S. Maximus centur. 1. ex variis cap. 14.
ait, hominis creatorem factum eſſe hominem, ut paſ-
ſiones paſſionibus curaret; eſſetque paſſio paſſionum
noſtrarum per ſuas in carnis penurias, & ſuſceptas pro
nobis paſſiones. Præterquàm quod nuſpiam in tota
vitæ, actionum adeò illuſtrum in omni genere ſpeci-
mina dedit Chriſtus Dominus, quàm in extremo vitæ
ſcematate. Attingam autem per ſummum duntaxat
verticem Cardinales Chriſti per tempus illud paſſio-
nes, in vtroque paſſionum ordine quatuor: amoris
ſcilicet, odium, deſiderium, ac dolorem in claſſe affe-
ctuum partis concupiſcibilis. Itémque ſpem, audaciam,
timorem, & iram, in altero ordine: notatis ad vnam
quamque paſſionum prædictarum, quæ Patres conſi-
deratione digna cenſuerint. Neque verò ſollicitus ero,
quod pleraque affe-ctuum proponendorum exempla,
ut ex obiecto formali conſtabit ſpectent potiùs ad vo-
luntatem ſuperiorem, quàm ad appetitum ſenſitivum.
Nam perinde id eſt ad rem præſentem, quandoqui-
dem ob radicationem potentiarum illatum in eadem
anima, affectibus vo-untatis, proportionales ſemper
affectus in appetitu correfpondent.

Amor.

438. Hæc paſſio princeps, in Chriſto Domino per
tempus paſſionis micantiſſima fuit. Quos enim dilexe-
rat à primo ortus ſui principio, in ſinem dilexit: hoc
eſt cumulatiſſimè amavit in vitæ meta. Et ſane amor
amando creſcit; ac in modum ignis, (quod notavit
Theodoreus orat. de charitate) quo plus operatur, eo
fit auctior; materiæque acceſſione non obtunditur, ſed
amplificatur magis. Mirum ergo non eſt, Chriſtum
Dominum, perpetuè per vniuerſam vitam anterio-
rem, incenſiſſimi & in Patrem & in nos amoris exerci-
tio perſeſſum, in vitæ limite illuſtiora amoris argu-
menta edere voluiſſe. Egreſſè planè hoc expreſſit Ru-
pertus l. v. in Daniele cap. 23. ubi ſuppoſita can-
delabii typici accommodatione ad Chriſtum, quam-
uſe perſecutus erat lib. 4. in Exod. c. 8. & pulcherrimè
etiam S. Auguſt. orat. de ſ. hæreſibus, qui nominatim
ad Chriſtum in cruce poſitum reſert antiquum cande-
labrum: his inquam ſuppoſitis, conſiderate aggrediunt
Rupertus quæ ſunt duæ illæ oliuæ, vna à dextris, altera
à ſiniſtris, quas circum candelabrum ſibi in viſione ex-
hibitas, prodit Zacharias cap. 4. Et oliuam quidem à
dextris locatam, interpretatur beneuolentiam Dei in
genus humanum, cui per Verbum ſuum tam multa
condidit ac prouidit. At oliuam à ſiniſtris, ait eſſe Chri-
ſti charitatem, cum in Patrem, tum in nos, genùsque
noſtrum in paſſione proditam. Idcirco enim ea oliuæ, à
ſiniſtris, id eſt in cruce & ærumnis exhibita Prophetæ
eſt, per viſum diuinitus iniectum. Amori potiùs huic,

primas inter omnes affectus Chriſti patientis eſſe de-
ferendas, intelligere proportionem poſſumus, ex eo
quod in prima vniuerſi molitione, ſpiritus Domini fe-
rebatur ſuper aquas: id eſt interprete D. Auguſtino
q. 8. ad Dulcitium, Deus omnia operatus eſt, non per
ſubiectionem ad res creatas ut facit amor indigus; ſed
per abundantiam beneſcentiæ, & ſanctæ dilectionis
ac beneuolentiæ ſupergræſſionem. Opus autem re-
demptionis noſtræ, & paſſionis Chriſti, coimpeſa
quædam fuit, ut acutè ac ingenioſè de morte animad-
uertit Rupertus l. 5. de diu. off. à c. 9. ſignata correfpon-
dentia dierum hebdomadæ primæ qua mundus con-
ditus eſt, cum totidem diebus hebdomadæ in qua
Chriſtus paſſus eſt, à Dominica palmarum qua tantum
opus eſt exorſus, ad Sabathum vſque, quo in ſepulchro
requieuit ab vniuerſo opere quod pararat. Spiritus
itaque Domini & amor Chriſti, in hæc quoque coim-
peſia, & vera mundi myſtici effectiōne, ſupergræ-
diebatur: & præ affectibus cæteris in Chriſto emine-
bat, cum erga Patrem, tum erga genus humanam,
pro quo patiebatur amore Patris.

439. Contestatus ſane eſt ipſemet Chriſtus, quod at-
tinet ad amorem in patrem, quas affectus ille partes in
hoc opere habuerit, cum dixit Ioan. 14. *ut cognoscatur
mundus, quia diligo Patrem, ſurgite, eamus: utique ad
crucem & immania ſupplicia, quæ præ amore in Patrem
nihil duxit. Considerabat enim quanta diuinæ iuſtitie
conculcatione, Satan hominem ad ſe abtraxiſſet per
peccatum; quanta honori diuino plaga, per elationem
hominis, cuiusque originem eſſet illata: perſpiciebat
bonitatem Dei id à ſe poſcere, ut hominem inter ac
Deum conciliator interueniret, & homini ad Deum
ſuum reſteſſario via fieret. Hic Chriſtus flagrantifſimo
Parris amore ſuccenſus, ad expectatam à Patre homi-
num ſalutem, per cruciatibus horrendos, per amara &
aſpera quæque, per probris, ſannas, flagella, clauos, cru-
cem, viam ſibi generoſiſſimè ſtrauit, illud in ſeipſo ſa-
ctis comprobans, dilectionem ſortem eſſe ut moreretur;
id eſt irumpere quoecumque amati res tolerint, nemi-
ne arcente, aut prohibente. Omnino comprobauit in
ſeipſo, quod de quibuſvis diuino amore correptis, &
mortem præ dilectione contemnentibus, dictum eſt à
D. Auguſtino l. de Mor. Eccleſ. cap. 22. [Nihil eſt tam
durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur;
quo cum ſe anima rapit in Deum, ſuper omnem
carnificinam libera, & admiranda volitabit pennis pul-
cherimis & integerrimis, quibus ad Dei complexum
amor caſtus innititur. Niſi verò amatores auri, ama-
tores laudis, amatores feminatum, amatores ſuis
Deus ſinat eſſe fortiores: cum ille non amor, ſed con-
gruentius cupiditas, vel libido nominetur. In qua-
tamen apparet quantus ſit impetus animi, ad ea quæ di-
liguntur indefeſſo curſu per immania quæque ten-
dentis: argumentumque nobis eſt, quàm ſint omnia per-
ferenda, ne deſeramus Deum, ſi tanta illi, ut deſerant
perferunt.]*

Hæc ſi vulgo ac plebe ſanctorum verè ab Auguſti-
no dicta ſunt, ut & alia pleraque eximia de fortitudi-
ne huius ſanctorum amoris, quæ ibidem habet cap. 11.
quanto verius de Chriſto dici poterint, qui præ om-
nibus Deum dilexit, & de eius ſumma diligibilitate ſi-
quid orem habuit notitiam? Amor iſte in Patrem, Chri-
ſtum ad tam multa tribunalia, denumque ad crucem
magna cum pernicitate ac gaudio tendere fecit. Eſt
enim id amoris proprium, (quod notavit Theodoreus
orat. de charitate S. Petri amorem deſcribens) eſt
inquam id amoris peculiare, ut animam volucrem ſi-
ciat. Ut propterea dicat Theodoreus, S. Petrum fla-
grantem deſiderio aduendi Chriſtum in litore ſeden-
tem, præ Chriſti amore, voluiſſe ſumptis pennis auo-
lare ad eum quam promptiſſimè: ſed iſis per naturam
negatis, uſum eſſe aquis pro ære, manibus pro pennis.

440. Iam si amor humani generis quo Christus in passione flagrant, attendatur, occurrent quæ nos agant in stuporem. Pro verba iniquissimo, pro ingratisimo mancipio, pro impiissimo discipulo, Vnigenitus Patris, & hæres vniuersorum, horrendos cruciatus & terribilissimam mortem, admittit libens. Hinc super omnia incendi oportere amorem nostrum, tradit egregie S. Bernardus serm. 10. in Cant. Propositis enim variis causis, Dei in nos amorem excitare idoneis, subdit. [Pro his ergo, ita sum amans te quantum possum. Sed est, quod me plus mouet, plus urget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi Iesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis, hoc omnino Amorem nostrum facile vendicat totum tibi. Hæc inquam est quod nostram deuotionem & blanditiis allicit, & iustitiis exigit, & actibus stringit, & efficit vehementius. Multum quippe laborauit in eo Saluator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auditor assumptus. Illa denique, dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt: ac verò hic & in dictis suis sustinuit contradictores, & in factis obseruatores, & in tormentis illatores, & in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit. Adde quod hanc ipsam dilectionem non reddidit, sed addidit. Nam quis prior dedit illi, & retribuatur ei: sed ut sanctus Ioannes Euangelista ait: *Non quia nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos.* Denique dilexit nos existentes, sed adiecit & resistentes diligere, iuxta Pauli testimonium dicentis, *quoniam cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Alioquin si non dilexisset inimicos, nondum posset amicos, sicut necdum quos dilexerit essent, si non dilexisset qui nondum essent. Dilexit autem dulciter, sapienter, fortiter.]

Et erat ille Christi amor omnino putus, veræque puritatis, qualem egregie expressit idem Bernardus serm. 83. in Cant. qui rursus de nostra in tedamando nostri amantissimum tepiditate, imo frigiditate & rigore, sic expostulat ad calcem sermonis secundi de Pentecoste. [Quam dulciter Domine Iesu cum hominibus conuersatus es, quam abundanter multa & magna bona hominibus largitus es; quam fortiter, tam indigna quam aspera pro hominibus passus es; ita ut liceat sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo; duro ad verba, duriore ad verbera, durissimo ad crucis horrenda: quia in omnibus his, sicut Agnus cotam tendente le obmutuit, & non aperuit os suum. Vides igitur quam verum dixerit ille qui dixit, *Domine, sollicitus es mei.* Pater ut seruum redimat, filio non paritissimè se ipsum libentissimè tradit: Spiritum sanctum utique mittit: & ipse Spiritus, postulat pro nobis genitibus inenarrabilibus, ô duri & indurati & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amor, qui pro vilibus sarcinulis tam preciosas merces expendit. Non enim corruptibilibus aureo vel argento redemit nos, sed pretioso sanguine suo, quem effudit abunde, quia largiter vnde sanguinis de corpore Iesu per quinque partes emanauerunt. Quid videri debuit facere, & non fecit.] Inuitat, aut etiam placent adigere nos, hic amor ad tedamandum. Hæc ergo est mensa, ad quam cum sederimus monemur talia nos quoque preparare oportere, quod his verbis docet Petrus Damiani sermone de S. Columba. [Passio Domini, quasi vicaria quedam nobis mensa propolita est, ut quique ad eam inuitati discumbimus, nos etiam familia preparamus: ad quam nos sponsus inuitat in Canticis: *comedite*, inquit, *amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi.* Et in prouerbiis Salomonis: *si sederis*, inquit, *cenare ad mensam potentis, considerans intellige, quæ apponuntur tibi, & sic mitte manum tuam, sicut quoniam talia oportet te preparare. Quænam est illa mensa potentis, nisi vnde sumitur corpus, & sanguis*

Theoph. Raynandi Christum.

eius, qui suam pro nobis animam posuit: Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter, ac reuerenter accedere? Ibi quæ nobis apponuntur, considerantes intelligimus, si digne tanti muneris gratiam cogitamus: & tunc ita manum mittimus ut sciamus, quia talia nos expediat preparare, cum prudenter intelligimus, quia sicut Christus pro nobis mori dignatus est, ita nos pro illo si decet occasio, debemus animas ponere. Quid enim, ait Plalmista, *retribuiam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.* Hinc est etiam, quod dilectæ suæ sponsus in Canticis cum præmisisset, *sub arbore malo suscitauit te*, consequenter adiunxit, *pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*: ac si dicat: quia ego te in tantum dilexi, ut per mortem crucis te mortuam suscitarem; in etiam me alterutrum dilige, meque in tuis non modò cogitationibus, sed operibus, velut integri, atque perfecti amoris signaculum pone. Nam arborem malum, Dominicam crucem debemus accipere, cui videlicet arbori ipsum alibi Christum comparat, dicens: *Sicut malus inter signa filiarum, sic dilectus meus inter filios.*]

441. Pellicit etiam tantus Christi amor in immitentes, (nam pro impiis mortuus est,) ad amorem proximi. Quis enim non amet, quem Christus deperit: Chrysostomi argumentatio est in calce homiliarum 27. in ad Rom. ubi computans probrolos voces quorundam exultantium in rebus pessimis, in odio inquam professo plurimorum, illam confutationem sic concludit. [Ne gloriemur itaque, in eo quod magis occultare oportebat: Neque dicamus quæ forentium sunt, & dissolutorum hominum, nimirum, innumeros auersari scio. Sed etiam si alius quispiam hoc dixerit, irideamus illum potius, atque os illius obstruamus, gloriantis illic, vnde magis confundi oportebat. Quid quæso dicis? Auersaris hominem fidelem quem Christus cum infidelis adhuc esset, non est auersatus? Quid dico, non est auersatus? Ita quippe illum adhuc inimicum ac turpem dilexit, ut mortuus etiam pro illo sit. Deinde ipse quidem, illum adeo fortiter, ac talem dilexit; tu verò formosum iam, & admiratione dignum, membrumque Christi, imo Dominicum corpus factum, dic quæso, contemnis atque auersaris? Non obferuas quid dicas? Non sentis quid temere audeas? Caput habet ipsum Christum, & mensam, & vestimentum, & vitam, & lumen, & sponsum. Nam omnia illi Christus est, & audes dicere, auersor illum, & non solum illum, sed & cum illo, innumeros alios? Compece ac cohibe insaniam istam: agnosce fratrem, discite verba ista stultiæ esse atque insanie. Dic contraria, etiam si me millies fueris auersatus, non tamen deficiam. Atque hoc pacto, & fratrem lueraberis, & ad gloriam Dei coges, bonæque futura adipisceris.]

Odium.

442. Hunc affectum, sanctum esse, tradit pulcherrime Origenes l. 9. in epist. ad Rom. ad illud capitulum 12. *odientes malum*: sed vsus eius maxime propitius, & idem subdit, est erga vitia atque peccata omnesque quibus origo peccatorum debetur; Satanam præcipue, & carnem nostram. Fuit hic affectus in Christo, perfectissimus tempore extremæ vitæ. Quod enim peccati odium, par ei quo Christus flagrant, cum ad eradicationem peccati, & ut Daniel cap. 9. prænnunciat, ut destrueretur peccatum, sanguinem exhausit suum? Maledictus qui exosam Christo peccati mutationem Iericonthinam, lunari mutabilitate nostra subnixam, tanto Christo labore euerfam, instaurare infelicitet aggressus fuerit. In primogenita vita, morti apud Iobum primogenitæ aduersa; hoc est in clade gratiæ sanctificantis in prima generatione mystica acceptæ, iaciet eius fundamentum: & in nouissima vitæ, gloriæ inquam æternæ exitio, consummationem apponet. Nos

iussi odisse peccatum exemplo Christi, præposterè odio abutimur ad odium fratrum nostrorum, magna omnino pervertione affectus odij, ut Origenes supra exposulat. Perfectum item, Christi in Satanam principem peccati, eiusque emissarios odium per tempus passionis, me tacente res ipsa loquitur. Quid amamus quem Christus odit? Quid fidimus inimico, de quo præmoniti fueramus, ne crederemus ei usque in æternum?

Illud mirabile ac propè fide carens videri poterit, quod carnem suam quam nemo odio habuit, Christus odio habuerit. Id tamen ipsemet proficitur apud Iuanem c. 12. cum ad Gentilium ipsum videre cupientium aduentum, adoros de passione sua, & grano frumenti intra terram condendo sermonem; inde sibi moriendum esse contestatus est, quod qui odit animam suam in hoc mundo, eam in vitam æternam custodiat: omnes qui in ipsum crediderint, & æmulatores virtutum eius futuri erant, gravissimè adhortans, ad concipiendum sanctum semetipsorum odium, quale Christus in animam suam, id est in vitam temporalem, & carnem conceperat, & admilla tot persecutionum atrocitate, probebat. Christus enim non sibi placuit. Amulemur sanctum hoc Christi in se odium. Id quod eo iustius præstabitur, quo carnem circumferimus peccati in nobis originem, & fontem tot cladum nostrarum.

Desiderium.

443. Hæc manus animæ, qua bonum absens capiat, & ad illud se exportigit, (sic Philo desiderium nominat;) infinita quadantenus est. Nam oritur ex indigentia, iuxta fabulam Platoniam de ortu cupiditatis ex Poro & Penia. Nostra autem egestas, est quodammodò infinita; in quo Deo assimilamur per contrapositionem; ut sicut ille infinitè actualis est, ita & nos infinitè potentiales sumus. Hæc est infinita insatiabilitas, confertæ vnicuique nostrum sanguisugæ, nullis difficultatibus absteritæ à prosecutione boni quod capiat, & omnia complanabilia iudicantis, quantumvis prærupta & aspera appareant. Tam vili affectu, Christus humanam peruersitatem eo abutentem dedocuit, ad salutis nostræ quam deperibat negotiationem vsus est, desiderio desiderans pati pro nobis, ac obire mortem, & donec perficeretur desiderium suum, inde coarctatus. Hunc fuisse ignem, prælatum luculentæ Christi patientis figuræ Isaac, cum ad sacrificium abduceretur à Patre, dixit egregiè S. Ephrem. tom. 3. serm. de Abraham & Isaac.

Ea porro fuit æstusositas desiderij nostræ raparationis in Christo patiente, ut ceruæ matutinæ à Psalte sit collatus ea ex causa, interprete Augustino. Nihil item in Scriptura crebrius, horum Christi patientis desideriorum expressione. Et ut protitra dimittam, postulatio illa de qua Psalmo 2. ex Glossa Petri Damiani serm. 12. nihil aliud fuit quam desiderij expressio, per Christum aduocatum in cruce nostrum. Est enim *postulare*, ut idem obseruat, verbum ferens, quo aduocatus clientis sui causam vrgens, quæ concepit pro eo desideria exprimit. Iure autem dixisse videor, hoc desiderium fuisse in Christo insaturabile: quandoquidem cum posset vno suspirio, aut genuflexione nos reparare, tamen tam copiosam esse voluit redemptionem; totque sibi optavit incommoda, ut scilicet desiderijs nostris eorumque insatiabilitati medereretur. Desideramus enim absque vilo termino opes sæculi, & aggregamus contra nos densum lutum. Eo sanè pertigit hoc patiendi in Christo desiderium, ut etiam mortuus pati voluerit: & quod tunc extincta tam vita pati sensu præsentij non poterat, desiderio anteriore suppleverit, dum adhuc superstes esset. Hen incogitantiam & supinitatem nostram! Christus tam ardentem salutem nostram desiderauit, tam cupide omnia ad eam oppor-

tuna consecutus est: nos tam frigide quærimus, quod vnum interest nostra.

Dolor.

444. Hoc affectu, Christus sicut totum hominem saluum fecit, ita totum se & corpore & animo hostiam fecit, iuxta S. Bernardum serm. 3. in Ramis Palm. ad finem. Itaque cogitare subit, Christum Dominum qualem eum effinxit Isaias, *virum dolorum*, specie inquam hominis ex dolore compacti, cuius & anima, & omnia corporis membra, sint non modò dolore peritura, sed etiam ita perfossa, ut in dolorem quadantenus transierint.

Animæ Christi, in tempore de quo agimus, dolorem summum, prodidit sudor sanguineus, ex solido lorum inferendorum profectione. Nam iuxta Nazianzenum orat. 2. in Iulian. quod quis pati extimuit hoc passus est. Itaque cogitatione præsentis tantos dolores Christus, còsque simul omnes præconciens, & meritissimè timens, multo plura passus videri potest, quàm cum inferrebantur re ipsa singuli. Non adhæreo sententiæ quam ex quibusdam refert Gerlo epistola de susceptione humanitatis, & ex Gerlone Gabriel tract. de pass. Domini *sub initium*, nempe quod Christus, ab initio, & per totam vitam, illam ipsam accerrimum dolorem senserit, quem per tempus passionis expertus est. Hoc Gerlo dicta epistola, veritate, f. 8. & 14. stultitiæ, falsitatis, temeritatis, & præsumptionis damnavit, èstque (ut ait) contra apertam scripturam, quæ prodit, Christum cœpisse tædere. Non igitur prius eum tædebat, nec prius pungebatur acii illo doloris sensu quem postea subire cepit. Præterquam quod Christo, abyssus illi doloris insossum habens appetitum, non potuisset absque speciali miraculo gaudere vnuquam per totam vitam; quod dicere, Gerlo notat stultitiæ. Quod igitur assumabam, illud dumtaxat est, dolorem sub tempus passionis, & in ipso eius vestibulo toleratum in anima, ex prænotione omnium tormentorum simul facta, & ex maxima caritate doloris, veluti core, accerrimum fuisse; & vel æquale, vel etiam superasse quemcumque Christi cruciatum in passione, ob adunationem omnium simul dolorum intellectu perspicacissimo præconcepit, & perfectissima phantasie actione appetitui propositam. Pro eo namque tempore, cessant incommoda quæ aduersus recitaram insulsiatatem, ex Gerlone sunt prolata. Hunc dolorem animæ Christi, accerrissimum & accerrimum, volo fecerim à tristitia voluntatem superiorem occupante, ex obiectis tristibus per rationem superiorem exhibitis. Dolor enim animæ Christi, de quo nunc agimus, per appetitum sensicium prælucente phantasia expromebatur, ex redundantia tristitiæ illius, superiorem voluntatem quasi mergentis.

445. Corporis verò dolor, ex totidem partibus compingendus est, quot fuerunt in Christi corpore partes, à planta pedis vsque ad verticem capitis. Nullum enim fuit membrum doloris expertus, quandoquidem nullum fuit grauissimè cruciatu vacuum. Caput, spinæ lacerarunt, vultus sputis oneratus, maxillæ ac genæ alapis ac pugnis confusæ, artus clauis foderunt, totum corpus flagella exararunt, & horrendis vibicibus deformarunt. Nullus sensus immunis abiit, oculis tristissima species obuersata est: Auribus insonuere fecidissima opprobria & maledicta: Nares fetore excreta: Gustui fel & acetum crudeliter admodum, in summa sibi & immanibus angoribus. Tactus toto corpore fecidissimè excarnificato, dirissimè habitus, & nominatim in partibus quas confluxus nernorum faciebat accerrimi sensus. Nulla itaque pars corporis Christi fuit doloris expertus: imò omnes accerrimè sunt excruciatæ, ut propterea, Richardus suo cap. 20. in Cant. compo

compositos dicat sanctos Martyres fragmini mali puni-
ci, Christus autem integrum malum fuerit. [Con-
paratur (inquit) eorum afflictio non integro malo, quia
similia Christi passioni non pertulerunt, nec sicut ille
pleni gratia fuerunt, sed de plenitudine eius omnes
acceperunt. Christus enim in patiendō, malo punico
potest assimilari, quod plenum atque integrum est,
quia plenus erat gratia, quæ ei non ad mensuram da-
ta est; & totus in pœna rubuit, quia non parua pro
nobis, vel partem dolorum, vel laborum sustinuit; sed
tanti & tam graui, ut nullus unquam dolor fuerit
sicut eius; acerbior fuit, & excessit dolores om-
nium quos ab initio sæculi vsque ad finem
eius pati erant. Oportebat autem acerbiorum eius
esse dolorem, ut omnium dolores portaret, quia erat
hostia sufficiens pro omnibus, sed non efficiens; non
enim omnes saluos fecit, quod tamen per ipsos stat,
qui non saluantur. Ab hora namque natiuitatis labo-
rauit inopia, fuga, persecutionibus, fame, siti, laboribus
multis, & aduersitatibus. In corde etiam passus est,
quia incomparabiliter afflictus est de hoc, quod acer-
biorum passionis suæ antequam sustineret, nonie, &
quod hanc passus erat, certissime sciuit. In passione
quoque non est cruciatus in parte corporis, sed in toto
corpore. Non enim tantum transfixa sunt clauis mem-
bra, sed ipsum quoque corpus pertulit extensiones,
passum, & flagella, & caput præter alapas, & oculo-
rum relamen, etiam spinarum sustinuit punctiones &
vulnera. Quia ergo tam grauius, & tam multipliciter
passus est Christus, ideo omnis electorum afflictio;
quoque pro Christo, vel Christi exemplo pertulerunt,
fragmini tantum potest comparari, quia respectu eo-
rum, quæ pertulit ille, parua erunt quæ pati potue-
runt, & tantum modica pars eorum.] Eodem reule-
tim illud Augustini, sententia apud Prosperum 275.
[Labor plorū, exercitatio est, non damnatio. Nec
enim conturbari debemus, cum aliquis Sanctus graui-
ta indigna perperit, si obliui non sumus, quæ pertu-
lit nullus iustorum, sanctūque sanctorum; cuius pas-
so superat omnes passiones; quia cum auctore vniuer-
satis, nulla cuiusquam est comparatio creaturæ.]

446. Atrocitatem huius doloris, aliqui eo vsque ex-
tulerunt, ut dolorem ab omnibus simul hominibus
per omne æuum ereptos, superasse dixerint, & damna-
torum quoque tormenta excessisse voluerint. Audi S.
Edmundum in speculo Ecclesie, cap. 23. qui acturus de
Christi doloribus sic habet. [Hic nescio quid dicam.
Nam si omnes morbi & dolores istius mundi, essent
in corpore vnius hominis solius; & si homo ille posset
conscipere tantam angustiam & tantos dolores, sicut
omnes homines in isto mundo, parum esset aut nihil,
per comparationem ad dolorem quem sustinuit pro
nobis in vna hora diei. Vnde si possem viuere per cen-
tum mille annos, & qualibet die milles mori pro eo,
eadem morte qua pro me mortuus est semel, nihil ef-
fecit in comparatione ad dolorem quem habuit in se.
Tunc diceret aliquis, quod pœna quam sustinuit Chri-
stus in cruce pro nobis, fuit maior quam pœna infer-
ni, in tanta hora: Verum: Et propter istam causam,
nulla creatura potuit tantum pati sicut Iesus, quia nul-
lus habuit in se tantum de veritate. Sed aliqua creatu-
ra potest pati pœnam infernalem in igne perpetuo, er-
go apparet quod pœna infernalis fuit minor in tanto
tempore, quam pœna Christi. Non dico certitudinali-
ter, propter scientiam alicuius gentis. Propter hoc di-
cit Dominus de seipso, per Hieremiam Prophetam; *O
vniuersi omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est
dolor sicut dolor meus.* Certè nullus dolor est, nec vn-
quam fuit in isto mundo, ad dolorem tuum, dulcissime
Iesu.] Hoc Philareus 3. p. de offic. Sacerd. l. 3. c. 29. lacè
confirmat. At Gerſo epistola de susceptione humanita-
tis Christi veritate 13. temeritatis id damnat, estque

sine dubio dimittendum. Certum tamen est, Christi
dolorem fuisse omnino magnum & acerbum, attenta
præsertim corporis Christi teneritudine, & acri vi sen-
sitiva, ob optimam temperiem; quæ iuncta cruciatuum
immanitate; & hostium per quos infligebantur rabie,
dolorem ingenerabat, qualem effingere cogitatione vix
possumus. O peccati amaritudo, quomodo meritis ubi
non es seminata? Et quomodo verum quod à Iobo
scriptum est, *seminant dolores & metunt eos?* Ille nun-
quam concepit dolorem, & tamen peperit. Hen quo-
modo potest ea cogitatio nostros subire, ut audientes
Christum doloribus obtutum, risum admittendum, &
quod foedius etiam est, captandum existimemus? Sen-
sa sunt admodum pia sanctissimi Patris Ephrem, dolo-
res Christi expendentis serm. de pass. Domini.

447. Vsum doctrinæ de Christi doloribus, optimè
attigit Petrus Damiani serm. 1. de exalt. S. Crucis, loco
quem subijcio. [Excede paulisper sensus carnis, & ir-
ruentia corporearum phantasmata voluptatum, & in-
tuere diuinæ naturæ bonitatem, suauitatem, dignatio-
nem. Meditare positionem crucifixi corporis. Vide si
aliquid est in eo, quod non peroret pro te apud Patrem.
Diuinum illud caput multiplici spinarum densitate
densatum, vsque ad cerebri teneritudinem confixum
est, dum configitur spina. *Spinis peccatorum suorum,*
(ait Dominus per Prophetam), *circundedit me populus
iste.* Ad quid hoc? Ne doleret caput tuum, ne tua vul-
neretur intentio. Caligauerunt in mortem oculi tui,
& illa luminaria, quæ illuminant orbem, ad horam ex-
tincta sunt. Nonne illis obtenebrantibus, tenebræ fa-
ctæ sunt per vniuersam terram, & illa duo magna lu-
minaria, cum illis luminariis submoti sunt? Hoc au-
tem totum factum est, ut auerterentur oculi tui, ne vi-
derent vanitatem, & si viderent, non adhererent. Au-
res illæ quæ in cælis audiunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus,
Dominus Deus Sabaoth;* audierunt in terris; *Demonium
habet, & Crucifige, crucifige eum.* Ut quid istud? ne auro-
re obscurdesceret ad clamorem pauperis; ne recipe-
rent auditum vanum, ne detractionis virus aperitis,
propitiique auribus susceperent. Speciosa illa facies
speciosi forma præ filiis hominum, (spuris illata est, affli-
cta colaphis, addita delusionibus; sic namque scriptum
est; *coeperunt conspuere in eum, & percutere faciem eius, &
illudere ei dicentes; prophetiza, quis est qui te percussit?*
Quare hoc? Ut facies tua illuminaretur, illuminata
confirmaretur, & diceretur de te; *Vultus eius non sunt
amplius in diuersa mutati.* Os illud, quod docet Ange-
los, homines instruit, quod dixit, & factum est, pa-
ramper obmutuit; ut veritatem & iudicium loqueretur
os tuum, & confiteretur Dominum Deum suum.
Manus illæ, quæ fundauerunt cælos, extensæ sunt in
cruce, clauisque transuerberatæ durissimis; ut manus
tuæ extenderentur ad inopem, & dicere posses; *Ani-
ma mea in manibus meis semper.* Quod tenemus in ma-
nibus, non facile obliuiscimur; sic & qui animam suam
bonæ operationi imprimit, non tradit eam obliuioni.
Pectus illud, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, &
scientiæ Dei absconditi, lancea militari perfoctum est;
ut pectus tuum à prauis cogitationibus mundaretur,
mundatum sanctificaretur; conseruaretur sanctificatum.
Pedes illi, quorum scabellum adorare debemus, quia
Sanctum est, dura transfixione confixi sunt; ne pedes
tui festinarent ad malum; sed currerent viam manda-
torum Domini. Quid plura? foderunt manus eius, &
pedes, & dinumerauerunt omnia ossa sua. Pro te car-
nem, & animam suam posuit, ut corpus, & Spiritum
tuum sibi vindicaret. Toto se, totum te comparauit.]
Quam truculenti, qui super dolorem Christi vulnerum
addunt, rursus eum crucifigentes, & ostentui habentes,
in semetipsis.

Spes.

448. Hic affectus spectat ad alterum quaternarium propositum, nempe affectum partis ita scilicet. Micuit verò in Christo splendidissime, tum quoad materiale, arduas inquam & immensæ operæ difficultates; tum quoad formale spei voluntatis superioris, cui in appetitu sensitivo proportionalis affectus correspondet; Deum videlicet, à quo auxilium, & necessaria subventio tunc expectanda. Expressum id à Iob quoad materiale obiectum spei, iuxta S. Gregorium 12. Mor. c. 4. ad illud, *Lignum habet spem; si præcisum fuerit, rursum virebit; & rami eius pullulant &c.* Lignum enim quod spem habere prodit Propheta, vel de quolibet iusto vniuersè, vel de iniusto accipi posse, cum demonstrasset S. Gregorius, subdit. [Quod fortasse etiam de Domino ipso, scilicet bonorum omnium capite, valet intelligi: Iuxta hoc utique quod prædiximus, quia de semetipso ait; *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fieri?* & enim lignum viret, & nos lignum aridum dixit: quia ipse in se vim diuinitatis habuit; nos verò qui parum homines sumus, lignum aridum appellamur. Habet ergo lignum spem, si præcisum fuerit, quia rursum virebit: quoniam & si occidi per passionem potuit, per resurrectionis gloriam rursus ad vitæ viriditatem venit. Huius rami pullulant, quia resurrectione illius multiplicati, longè latèque fideles creuerunt. Huius radix in terra quasi senoit, quia eius prædicatio, Iudæorum perfidia despecta fuit; & in pulvere truncus emortuus est; quia in corde persequentium, quod perfidia suæ vento leuabatur, contemptibilis & despectus est habitus: quia carne potuit occidi. Sed ad odorem aquæ genuit, quia per virtutem Dei, extincta caro illius, ad vitam rediit, iuxta quod scriptum est; *Quem Deus suscitauit à mortuis.* Quia enim Deus Trinitas est, extinctam carnem vniuersi filij sanctæ Trinitas, id est, Pater & idem Filius, & Spiritus sanctus resuscitauit. Et fecit comam quasi cum primùm plantatum est; quia illa Apostolorum debitas, quæ in morte illius expauit & negauit, & negando aruit, per resurrectionis eius gloriam rursus ad fidem vixit. In cuius ligni cōspatatione, quod omnis homo nisi pulvis est? Omnium propositorum bonorum, gloriæ inquam corporis sui, & exaltationis nominis, post interitum suum consecuta, spem firmissimam habuit Christus: non obiectiue tantum (vt ligea de quibus cortex literæ id affirmat, apud Iobum, quæ dicuntur spem habere, quia de eis sperari potest quod reuereantur) sed etiam formaliter, siue per actum veræ spei, ad talia bona innumeris licet oblecta difficultatibus, terminatum.

Formale autem spei in voluntate superiori, ad quod suo modo adrepebat spes in appetitu, diuinum scilicet auxilium Christo speranti obuersans, tamquam firmum omnibus angustijs præsidium, tam sæpè apud David varijs locis insonat, vt superuacuum fore videatur, loca quadam sigillatim annotare. Nunc enim Psalter in persona Christi contestatur se in Deum proiectum esse ex viro, & Deum esse spem suam: nunc Deum vocat firmamentum & petram suam, nunc refugium, nunc protectorem & adiutorem. Eiusdem sunt voces illæ apud Ieremiam cap. 17. *Eccce ipsi dicunt ad me: Vbi est Verbum Domini? veniat. Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens, & diem hominis non desideravi, tu scis. Quod egressum est de labijs meis, retum in conspectu tuo fuit. Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. Confundantur qui me persequuntur & ne confundar ego; paueant illi, & non paueam ego.*

449. Hic Christi affectus, maxime sub mortem se prodidit, in tanta malorum addensatione: eumque etiam adumbrabat Iob, Christi patientis typus planè illustris, vt ex professo tradit Rutilius lib. 2. de oper. Spiritus sancti à cap. 4. At Iobi spem indomabilem

ærumnis, & infraactam ad horrorem calamitatum quarum vel sola recordatio lectorem exeret, prodit sæpè S. Chrysostomus; cum alibi, tum nominatim in hominibus de patientia Iob. Et ipsemet patientiæ adamus, verbis illis expressit, *Etiamsi me occiderit, sperabo in eum.* Christus supra omnem comparationem, perfectissimus Deo per spem adhæsit, moriturus.

Quid nos tale morituri præstamus? Si vel periculum mortis imminet, omni folio mobiliores, firmitatem ergo diuinæ promissæ labare sinimus: & quod S. Cyprianus l. de mortu. num. 8. iure deplorat, ita spem abijcimus, vt vix fidem in domo fidei, id est Ecclesiæ, habere videamur. Et tamen Christi vita & mors spectant ingenerationem spei in nobis. Audi Augustini in Psal. 60. ad illud, *Deduxisti me quia factus es spes mea.* [Ille si nostra spes factus non esset, non nos deduxerit. Deduxit tamquam dux, & in se ducit tamquam via, & ad se perduxit tamquam patria. Deducit ergo nos. Vnde Quia factus est spes nostra. Vnde factus est spes nostræ. Ecce si quomodo nunc audistis quia tentatus est, quia passus est, quia resurrexit, factus est spes nostra. Quid enim nobis dicimus, quando hæc legimus? Non enim perdet nos Deus, propter quos filium suum misit tentari crucifigi, mori, resurgere. Non enim vere nos de peccatis, Deus, propter quos filio proprio non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Sic ergo factus est spes nostra. In illo vides & laborem nostrum, & mercedem tuam: laborè in passione, mercedem in resurrectione. Sic ergo factus est spes nostra. Habemus enim duas vias, sed vna in qua sumus, nota nobis est: quæ speramus, ignota nobis est. Tolerare in qua es, & habebis quam nondum habes. Quomodo toleras? Vt non vincaris à tentatore, laboribus suis, tentationibus, passionibus, morte sua demonstrat tibi vitam Christus, in qua es: resurrectione sua demonstrat tibi viam in qua eris. Nos enim non noueramus, nisi nasci hominem & mori: resurgere hominem & viuere in æternum, non noueramus. Suscepit quod noueris, & demonstrat quod non noueris. Ideo ergo factus est spes nostra in tribulationibus, in tentationibus.]

Audacia.

450. Feram quæ se intrepidè in venabula & spicula induit, aut vt abreptam sobolem vendicat, aut vt vincitur ininiam, vel enasura quaquauerum dedit se via, vocamus audacem. Christus in passione, non semel apud Psalter exhibetur specie feræ, quam circumstant vndique molossi, agnibus & videntibus venatoribus, quibus tandem in prædam cessit. Sed fera quidem, in vita, & quantum potest obstitens cedit: Christum, nisi ipsemet dederet sese, nulla vis externa subigeret. Audaciam verò prodidit eo mortem, quod cum posset declinare pericula, & abijcendum imminetibus nullo se negotio expedire, maluit ea generose adire, & tantis damnis nostra causa, & Patris amore se non subducere; imò in ea impetetrans irruere. Vnde & vno hoc impetu, sapientissimus inter tres Trinitatis Augustissimæ personas, sedens in Cathedra gloriæ celestis, circumstante Seraphinorum & Cherubinorum, cæterorumque celestium militum latellio, simulque tenerimus ligni crucis vermiculus, interfecit octingentos; totum inquam cæcæ iniquitatis, stravit ac fudit, contemplatio est inuicibilis Petri Damiani ad calcem sermonis primi in Natali Virginum, aptantis ad Christum quod de Davide dicitur 1. Reg. 23.

Et Apostoli quidem, qui cum Christo in primis tentationum veluti flabris permanserant, irruente extremo hoc turbine, auersi sunt à Christo. Ac Paulo etiam ante mortem, cum Christus regressum in Iudæam cogitaret, eoque suos vocaret passionum ac mortis testis fuerunt.

fortis; Thomas ut interpretatur Basil. Seleuc. orat. 40. velut timentem inculans; Quasi verò (inquit:) cimus & moriamur. Non sic est vita prodigenda. Cautius & consilius est agendum. Ut, ut autem accipiantur verba Thomae, constat fractam esse Apostolorum audaciam, & fortitudinem extabuisse, ac consumptam esse. Quod interprete S. Gregorio 14. mor. cap. 23. signatum est à Iob cum dixit, consumpsit caribibus adhaesisse ossi pellem, id est paucas pias mulieres. At Christi fortitudo, o[mn]i nomine ibi expressa, truncente in eam tanta mole malorum, non est confacta. Quae etià causa est, cur non sint Christo confacta ossa sicut lacrimabundis, ut Christi fortitudo nullatenus occisa aut commota significaretur, ut notavit S. Hippolytus Martyr apud Theodoretum dialog. 3. Verus de Christo quam de Abner dicitur, illud ex 2. Reg. 3. *Negligentiam ut mori silet ignari, mortui est. Aratus tua ligate non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggregati*, (neque enim clavis quibus congebatur adactus, verum libera voluntate haretat in cruce: sed sic solum cadere contra filium iniquitatis sic cornuisti. Christus tanta pericula & mala gravissima, distincte ac certo praecognita non exhorruit. Nos ad res nihili frangimur, & animo cadimus. Haec nos audacia, ad audiendum invitat. Tymotheum est Christus in cruce tensus, ut est apud D. Augustinum in Psalm. 33. conclusi. 1. & apud Gilbertum item 42. in Cant. ad illud *vox dilecti pulsantis*. Ad eius impetum pulsam, excitetur & animetur.

Timor.

41. Vener eburneus sponsi ut interpretatur Petrus Damiani serm. 1. de S. Ioanne, infirmitas est iuncta fortitudini. Itaque nihil mirum, si Christus de cuius cuncta & magnanimitate proxime diximus, nunc timens sit proponendus. Et sancti quidem Martyres, tamen late & instabile habentes fundamentum, tamen ad omne carnis ingenium in tormentis, nihil timebant. Christus uniusse proditor: sed timor Christi, eorum fortitudo fuit. Expressum id in carne quae Adam suppleta est, pro offe ex quo Eva edificata. Audi Augustinum tract. 15. in Ioan. ad illud, *fatigatus ex itinere*. Assumptionem enim carnis, interpretatus iter Dei ad nos, subdit, *Quod infirmum est. Dei fortitudo est hominibus*. Sub hac rerum imagine, Adam qui erat forma futurum, praebuit nobis magnum indicium Sacramenti, imò Deus in illo praebuit. Nam & dormiens accipere meruit vxorem, & de costa eius facta est ei vxor; quoniam de Christo in Cruce dormiente, futura erat Ecclesia; de latere eius, de latere scilicet dormientis; quia de latere in cruce pendens lancea percussio, Sacramenta Ecclesiae proflexerunt: Sed quare hoc dicere voluit fratres? Quia infirmitas Christi nos facit fortes. Magna ibi imago praecessit; potuit enim Deus carnem detrahere homini, unde faceret foeminam; & magis videtur quasi congruere potuisse. Fiebat enim sexus infirmior, & magis de carne infirmitas fieri debuit, quam de offe, ossa enim carne firmiora sunt. Non detrahit carnem unde faceret mulierem, sed detrahit os, & detracto offe, formata est mulier, & in locum ossis, caro adimpleta est. Poterat pro offe os reddere, poterat ad faciendam mulierem non costam, sed carnem detrahere. Quid igitur significavit? Facta est mulier in costa, tanquam fortis: Factus est Adam in carne, tanquam infirmus, Christus & Ecclesia. Illius infirmitas; nostra est fortitudo. Causam eiusdem interperitatis sancto Martyrum, cum tantus fuerit Christi ad mortis occursum paucior, reperit Basilus Seleuc. orat. 32. et eo quod Christus in mortem viventem adhuc, expeditionem suscipit, congregatque nondum dissecta tyrannide. Adhuc enim iam inde ab Adam, occupato in homines dominatu, magnifice se iactabat mors. Christus morte contrucidata, post futuram eam velut

erectam tradidit ad certamen. Ideo ipse velut in viventem parans impressionem, pro rei veritate se gerit. Apostoli verò morte devicta & veluti iugulata, & extremum spirante, bene multum animati, eam inuadunt. Subdit haec fuisse causam, cur Christi finis, dicatur mors passim in Scripturis; bellum siquidem illi fuit contra mortem viventem: aliorum verò qui deinceps secuti sunt; finis appelleretur somnus. Eam quoque esse causam tradit, cur pueri ac puellae ludibundae ad mortem cucurrerint, mortem iam iugulata & exanimem non extimescentes. Hoc ipsum argumentum, cur scilicet Christus mortem timeat, quam alacres adiecit eius posteritati, prosequitur Petrus Damiani serm. de S. Columba qui addit & iam propositum ex D. Augustino allegoriam ossis Adamo exempti & suppletae pro eo carnis; & hanc quoque fuisse aliam defluentem in barbam David, pro qua habitus est infans; Christus enim patiens, gentibus fuit stulticia & in eo cum summa fortitudine, despectio & infirmitas nostra, ac fluxa carnis argumenta, timor & tremor apparuerunt.

42. Quis non timeat (exclamat Autor lib. de oper. Card. serm. de passione;) si timet ille, quem omnia timeant, si patet ille, cui omne genua curvantur; si ille qui mors est mortis, & mortis inferni, morte propinquante pertimescit? Nonne ad hoc venetas, & ita futurum ipse praedixit? Nonne hoc & signa, & oracula, & vaticinia Prophetarum à mundi initio conclamarunt? si voluntarie obedisti Patri, & non te ut patereris, cogit necessitas; Quid queris, quid caularis? Nonne tu docueras & instruxeras fideles tuos, ut non timerent eos qui corpus occidunt, quia usque ad animam tyrannica violentia non attingit? Subdit huius in Christo timoris veram causam, ut se hominem Christus probaret, refugiendo tantum malum suum, & nostram ad mortis periculum anxietatem, in se representaret, imò exscinderet.

Ita timuit sub mortem Christus, nec abs re. Amabat se sanè Christus & vitae suae pretium agnoscebat, quas causas proponit Aristoteles 3. Ethic. timoris non vani, & iusti metus, etiam in sapiente, cum ingruit mortis discrimen. Quod si Aristippus, ut est apud Gellium 1. 19. cap. 1. eximuisse se in tempestate fassus est, quia periclitata erat anima Philosophi, & vita eius venerat in discrimen; quidni Christus, & multo quidem potiore iure, eam maxime dignus esset vivere, & tam preciosum bonum perdendum esset, timorem concepit, ad imminentem cum immensa malorum atrocitate mortem probrosissimam? Ita tamen timuit Christus, ut malis non cesserit: sed cum naturae concessisset quod debebatur, nobisque exemplar factus, infirmitatis argumenta exhibuisset, obtemperavit ei in Patris obedientia, contempta confusione, & discriminibus nihil habitis. [Dei Verbum (inquit Ild. Pelus. lib. 1. epist. 289.) ut vetet humanitatem induit, ita verò omnia ea quae in hominem cadunt, explevit. Ad hunc modum passionis quoque tempore calicem deprecatur: hinc illud ostendens, periculis occurrendum non esse: verum, cum ingressi sumus ad ea excipienda, fortitudinem ac tolerantiam adhibendam. Etenim ipse crucem, cum adhuc in eam compararetur, detrectabat. At idem iudicis sententia cruce damnatus, eum tanquam victor humeris tollens incedebat.] Ita & nos faciamus.

Contemptam à Christo confusionem, nec admisum ea ex parte timorem dixi, quia pudor ignominiae pro nobis subeunda; non auocavit Christum à proposito perficiendae salutis nostrae. Egregie S. Bernardus serm. ad Milites Templi cap. 10. [Ascendit crucem calvus noster, mundo pro mundo expositus: & reuelata facie ac discooperta fronte, purgationem peccatorum faciens, probrosae & austeræ mortis tam non erubuit ignominiam,

ignominiam, quam nec poenam exhorruit, ut nos opprobrio sempiterno eriperet, restitueret gloria. Nec mirum. Quid enim erubesceret, qui ita lauit nos à peccatis; non quidem ut aqua diluens, & retinens sordes, sed veluti Solis radius desiccans, & retinens puritatem? Est quippe Dei sapientia, ubique attingens propter mundiciam suam.]

Ira.

453. A facie iræ columbae, extimescendum denuntiabat Propheta, sed & Apostolus iram agni memorat Apocal. 6. Verum ea ira, agni erit iam non agni, sed versi in leonem aduersus peccatores. Christum verò per tempus passionis, cum in humilitate iudicium eius sublatum est, itam prodidisse, operosum videretur ostendere, nisi Scripturae id testarentur, & aperte Patres exprimerent. Sanè Matth. 21. in ipso passionis aditu, (quippe post ingressum solemnem in regiam urbem, & pomam palmarum,) subiit Christus templum, & cum ita eiecit vendentes ibi & ementes, mensaque nummulariorum & cathedras vendentium columbas euerit, proludens per eam iram sanctissimè ac meritisimè conceptam, iræ qua Satanam erat eieciurus è templo Domini, ac tyrannide sua exturbatorus. Paulo vltius, metam versus progressus, hoc est sub vltimam cenam, impijssimi & ingratisissimi discipuli obfirmatione in nequitia, turbatus est spiritu, & protestatus est, ac dixit, *unus ex vobis tradet me*. Qualis ea turbatio fuerit, sic exponit S. Cyrillus lib. 9. in Ioan. c. 13. Christus [idè turbationis quandam figuram & iræ ostenderit, quemadmodum etiam quando Lazarum suscitauit, fecisse scribitur. Fremens enim spiritu ac turbatus, (inquit) venit ad monumentum. Nam quemadmodum ibi minas aduersus Mortem, fremitum appellauit; sic in hoc, motum (ut ita dicam,) aduersus impietatem proditoris, turbationis nomine denotauit: Iure autem molestè ferebat scelera illius, quia vnà cum alijs discipulis magnis affectus honoribus paruo argento amorem Christi repulit: Et dum panem eius manducaret, calcaneum aduersus ipsum eleuauit: non gloriam illius, non societatis leges, non pietatem vt Deo illi dedit, non quicquam aliud mirabilem recordatus: sed detestabilem solummodò paruamque Iudaeorum respiciens pecuniolam, qua suam animam vendidit, qua innocentem atque iustissimum sanguinem, manibus tradidit impiorum. Quare non iniuria turbatur Dominus.] Hæc spectant ad Christi patientis, aut ad passionem se accingentis, conceptam in Satanæ satellites iram.

In ipsum verò Satanam per idem tempus exarsit maxime. Quod ad hunc modum ab Elata in Christi persona expressum est c. 63. à versu 3. *Torcular calcanei solus, & de gentibus non est vir mecum: calcanei ens in furore meo, & conculcavi eos in ira mea: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis mee venit. Circumspexi, & non erat auxiliator: Quasi mihi non fuit qui adinuaret: & saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea, ipsa auxiliata est mihi. Et conculcavi populos in furore meo, & inebriavi eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum.*

454. Hæc enim in Christum per passionis tempus caderet, & designare iram tunc ab eo exproptam in Satanam, Theodoretus ad illud Cant. 8. *que est ista qua ascendit de deserto*, rectè annotauit. Eodem pertinuit clamor Christi postremus, sub momentum efflandi animam. Præter priorem enim clamorem de quo S. Matth. c. 27. versu 46. quem priorem clamorem, fuisse mistum lachrymis, Apostolos ad Hebræos cap. 5. prodidit, postmodum cum dixisset *consummatus est*, intragijt Christus clamore magno & inarticulato, post quem clamorem addidit verba inter quæ expirauit, vt S. Lu-

cas c. 23. testatur: vt propterea dictus sit expirasse sic clamans, id est non effendendo postremas illas voces quibus animam Patri commendauit, sed immediate ante eas; atque adeò moraliter loquendo, sic clamans expirauit. Ita aperte colligitur ex Græco contextu. Nam apud Matthæum quidem cap. 27. quia significandum erat Christum emisisse primum clamorem inter alloquendum Patrem, & proponendam detestationem suam dicitur *δὲ τότε ὁ ἰησοῦς φωνὴ μεγάλη λέγων ὁ πατήρ*, Hic, En in præsentī tempore, dicens clamauit. Mox verò ubi secundus clamor describitur, ait Matthæus: *καὶ ὁ ἰησοῦς πάλιν κηρύσας φωνὴ μεγάλη ἀέκρου τὸ πνεῦμα*: ubi noster quidem vertit clamans quia nulla est Latina dictio quæ commodius respondeat Græco illi Ἀέκρου. Sensus tamen esse debet, cum clamasset, emisit spiritum, sicut apud Lucam cap. 23. *Καὶ φωνήας φωνὴ μεγάλη ὁ ἰησοῦς, ἔειπε, Πάτερ, &c.* En φωνήας ἔειπε, id est cum clamasset voce magna, dixit. Quæ verba aperte ferunt, Christū prius clamasse, postea protulisse extremas illas voces quibus spiritum Patri commendauit. Clamor iste conclamationis fuit in Satanam, & sonantissima insultatio in prostratum, cum multa indignatione, ob summam in Deum, & Christum ipsum, genusque humanum ad illud vsque momentum exercit improbitatem, funditus tunc exstinguendam Christi morte.

455. Hæc breuiter de Christi sub passionem & extremam vitam passionibus cardinalibus dicere visum, vt intelligeremus quis fuerit Christi appetitus, & quæ cor eius cui appetitus insidet: indèque stimularemur ad similiter regulandas & frenandas cordis nostri passiones. Fuit cor Christi, cum in omni vita, tum in extrema præterit, cor bonum & optimum. Idque nobis in eo maxime statu perspicui voluit; quod ex admilla eius per lanceam perfossione, piè admodum eruit Autor tract. de pass. Dom. (sub allegoria viris apud S. Bernardum c. 3, ubi de Christi corde, & nostri cordis ad Cor Christi coniunctione, fusè ac pulchrè. Iustum professò fuerit, in huius cordis conuictu & subingressione, hominem exordificari: quod Angelis in Christum intendentibus contigisset, ipsimet Angeli Ecclesiam alloquentes sunt professi, interprete Gregorio Nysseno hom. 8. in Cant. *sub finem*. Pudeat non eodem affici sensu pietatis erga cor Christi, quo tacitam, imò oppressam Sigismundam Tancredi Salernitani Principis filiam, scribit Aneas Sylvius. Cum enim furtiuum filiae sponsum Guiscardum, Tancredus occidi imperisset, & eius cor aurea in patera ad filiam transmississet; affectum flagrantissimum æstui impar Sigismundam, pateram cordi suo admouens, inter tenerissima dilecti cordis alloquia, efflauit animam. Multò iustius, similem sensum deposcit à nobis cor Christi, sedes passionum sanctissimatum erga nos.

CAPVT X.

De perfectionibus humane Christi facultati exequenti.

456. Humana Christi facultas exequens, physice & entitative spectata, non est alia quam via mortis corporea. Nam neque in nobis alia est facultas, exequens voluntati iussa, quam facultas motiva. Illa ipsa tamen facultas, in Christo accipit perfectionem longe maximam: ita vt cum ex se & suapte vi intrinseca, non sit idonea nisi ad causandum motum, tamen per supernaturalis illius perfectionis communicationem, (quicquid tandem sit ea perfectio, de qua mox) fiat patrix operum mirabilem & potentia miraculorum appelletur. Delitarunt enim, qui potentiam miraculorum in Christo censuerant fuisse non perfectionem potentie exequentis, sed Christi imaginationem: in quibus refellendis operam prope im-